

arum, quibus hoc mare abundat, & pellium permutatio. Nam cùm ære, ferro, cānabe, lanâ, frugibus, atq³ omni ferè artificio Barbari careant, hæc à Gallis accipiunt. Ipsi contrà, qui vnicus thesaurus est, pelles retribuant. Est autem regio tota magnam partem perfrigida. Caussæ sunt plures; vna quòd valde aquosa est; nam præterquam quòd vndique ferè mari alluitur, fluminibus præterea & stagnis lacubúsque maximis abundat. Insulæ ita frequentes sunt, vt ora tota ijs intercisa, & tanquam baccata sit. Hinc sequitur nimirum, vt pruinosa sit, & tamē ventosa, sed flatu non nisi ferè algido. Altera est caussa frigoris, quòd inculta sit; nam cùm latè omnia silua vna contineat, nihil mirum est, si vix vnquam possit humus calefieri. Adde his, si placet, caussam tertiam, montes videlicet niuosos ac perpetuò rigentes, quibus dicimur ab Occidente ac Septentrione procul obuallari.

Certè quidem ab ea parte non nisi gelu perflamur & niuibus. Alioqui sanè facies regionis est peramœna, pluribus locis